

05

A

2070



*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*De*

# PRINCIPIO JURIS NATURALIS UNICO, VERO, ET ADÆQVATO,

*Quam*

*In Illustri hac Viadrina*

PRÆSIDE

## DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-  
DENBURGICI CONSILIARIO, EIDEMq; ab AULÆ ELECT.  
CONSILIIS, nec non FACULTATIS JURIDICÆ IN ALMA  
VIADRINA ORDINARIO ET PROFESSORE  
PRIMARIO,

*Antea*

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,  
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEMIA  
HEIDELBERGENSI DECRET. PAND. & JUR.

GENT. P. P. ORDINARIO,

*Dn. Parente pio & aeterno cultu prosequendo,*

Ad D. XXI. Decembr. An. MDC IC.

Publicè ventilandam subjicit

## SAMUEL COCCEJUS,

Heidelbergæ - Palatinus,  
AUTOR,

*Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.*

6366 8



05 A 2070

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE  
PRINCIPIO JURIS NATURALIS UNICO,  
VERO, ET ADÆQVATO.

S U M M A R I A.


1. *Quid voce juris naturæ veniat.* certa obligatio nascatur.  
2. *Romani omnia jura, cibibus cum extraneis communia, promiscue jus Naturæ & jus Gentium dixerunt.* 12. *Idg, non esse nisi jus sum Cre- atoris.*  
3. *Non differt illud à jure Divino morali.* 13. *Hoc omnium confessione cer- tum esse.*  
4. *Non dari jus Divinum foren- se universale à morali distin- ctum.* 14. *Si quis igitur aliud princi- piū v.g. Societatem, finge- re, aut addere velit, ab ipso illud, & omnia inde ultimò inferri, probandum est.*  
5. *Divisio juris in naturale, Gen- tium, & Civile laudatur : De primo hic agi.* 15. *Non potest ostendī, custodiā Societatis quicquam con- tinere, quam utilitatē com- munem hominū : cui verò hu- manum genus posset renun- ciare, & sic omne jus naturæ exstirpare.*  
6. *Eius existentia gentium con- sensu asseritur.* 16. *Quod exemplo Juris Civilis probatur.*  
7. *Eius principium ponit Grotius in custodia humanae societatis.* 17. *Hoc principio tolli differen- tiā inter jus naturæ & jus Gentium secundarium.*  
8. *Hobbesi & Kumberlandi principia videntur specie con- traria, re eadem.* 18. *Quin incurreret illud in sen- tentiam ipsius Carneadis. Hunc quoq; publicam utili- tatem intellexisse.*  
9. *Demonstratur, custodiā So- cietatis humana nullo sensu vel respectu in principiis ra- tionem venire posse.* 19. *Hac causa variare tempori- bus potest, atq; ita una Jus Natura.*  
10. *Ex principio primo & ade- quato omnia per justam con- sequentiam inferri debere.* 20. *Item*  
11. *Principium juris naturæ ta- le requiritur, unde vera &*

20. Item locis.  
 21. Nec non custodiae modis.  
 22. Ipse Grotius ex hoc suo principio vix quicquam in toto opere decidit.  
 23. Ex eo turpia quoq; inferri posse, exemplo Spartanorum.  
 24. Frustra dicitur: intelligi custodiā humano intellectū convenientem.  
 25. Resp. Grotio, qvī negat se utilitatem respicere.  
 26. Nihil esse in hoc principio, qvod Regi, viribus suis confiso, alios q; invadenti, vinculū injicere aut religionem incutere queat.  
 27. Aliis rationibus, custodiā humano Societatis principium juris Naturae nō esse demonstratur.  
 28. Nihil esse quod humano generi legem dare possit, excepto solo Creatore.  
 29. Nendum cobibere facultatem quod lubet agendi, à Creatore ipsi concessam.  
 30. Extinctio inter homines societas studio, manere jus Naturae.  
 31. Probatur id exemplis.  
 32. Ex custodia Societatis paucissima saltem praecepta ritè inferri posse.  
 33. Et hac ipsa qvog; non ex Societate, sed ex Creatoris voluntate inferri.  
 34. Solam DEI voluntatem esse principium juris Naturae firmatur ex Jure Romano.  
 35. Et communi Gentium consensu.
36. Refertur Sententia Dn. Pufend. & secum committitur.  
 37. Ostenditur contra eundem, Socialitatem nec adequatum esse modum cognoscendi juris.  
 38. Rationibus.  
 39. Exemplis.  
 40. Objectionis 1. resolutio.  
 41. Quād periculose, sublatodei jus Naturae statuere.  
 42. Quo sensu conciliari juris Naturae necessitas cum libera voluntate Dei. Jus in intrinseca bonitate non consistere.  
 43. Resp. exemplis sacris, quibus mutatum videtur jus Naturae.  
 44. Voluntas Dei est vel permittens vel praeципiens, ex qua sola obligatio oritur.  
 45. Hec obligatio in foro humano non extenditur ad cogitationes: & qua sit voluntas permittens.  
 46. Alius arbitrio hominum permisso esse tamen alios, aliis perfectiores,  
 47. Deo ergo eo gratius esse, quò id quod agitur perfectius est: Unde premia. Virtutes intelligi non posse nisi in arbitrio hominum relictas.  
 48. Exponitur preditta duplex Dei voluntas: altera obligationem juris infert, altera allicit sive premii.  
 49. Ultrumq; à Naturae esse, & à Gentibus distinctum fuisse.  
 50. Accuratam dispensationem premiorū, cùm in hac vita non contingat, in altera fieri necesse esse.  
 51. Gentes quoq; virtutibus premia post mortem destinasse.  
 52. Objectiones quibus ex virtute quoq; obligatio evincit videatur. refolduntur.  
 53. & 54. principales iurū & virtutis differentia.  
 55. Conclusio.

Princi-

\* (1.) \*

§. I.



Rincipium juris naturalis  
investigaturi, præmonen-  
dum putamus quid nam  
voce juris naturæ nobis ve-  
niat: Nimirum quaerimus  
de communi aliquo univer-  
si humani generis vinculo,  
de jure, quod omnes in u-  
niversum homines, nemine  
excepto, ad parendum ad-  
stringit & obligat: De lege  
inquam, quam, uti egregiè describit Cic. pro Mil., non di-  
dicimus, legimus, accepimus, verum à natura ipsa arripimus,  
hauimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non in-  
stituti sed imbuti sumus: Ad quem fere modum Sopho-  
cles eam descripserat, cùm Antigonem, quæ spretâ le-  
ge Creontis regis fratrem sepeliverat, ita regiloquen-  
tem inducit in *Antig.* vers. 453.

εδὲ θένειν ποσὶτον ὠόμην τὰ σπ  
κηρύγματ', ὡςτ' ἀρχαπτα καὶ Φαλῆ θεῶν  
νόμιμα δίνασθαι Θυητὸν ὅντ' υπερδραμέων.  
ἢ γὰρ τι νῦν γε κάχθεσιν αὖτε δέοι ποτε  
ἔγι παιτα, καυδεῖς οἰδεν ἐξ ὁ του Φάνη;  
τουτων ἐγὼ σύν εὐελλον, αὐτρός γδενός  
Φεύγνυμα δείσομεν ἐν θεοῖσι τὴν δίκην  
δώσειν;

Neque valere tantum putavi tua  
Edicta, ut non scriptas & immotas Deorum  
Leges is, qui mortalis est, possit transgredi,  
Non enim nunc & heri, sed semper  
Valent, & nullus scit unde edita sint.

A

No

\* (2.) \*

*Has ego non debui metu cuiusquam  
Violare, & apud Deos pœnas  
Dare.*

§. 2. Romani jus naturæ voce juris Gentium simpli-  
citer positâ complecti solent, non opinionis quodam  
errore, uti eos increpare videntur Grot. *Proleg.* §. 53. &  
Puffend. *de f. N. & G. I. 2. c. 3.* sed optima ratione: Cùm  
enim ipsis in animo fuerit suæ tantum civitati aptare  
jura, in ea autem duo subjectorum genera essent, Ci-  
ves, quorum proprium est jus Civile, §. 1. *Inst. de f. N.*  
*G. & G.* & peregrini, quibus jura naturæ & gentium,  
etiam *Secundarium* quod vocatur, communia sunt, hæc  
omnia uno communi nomine complecti & promiscue  
vel naturæ vel gentium jura dicere solent. §. 12. *Inst. R. D.*  
Hunc JCtorum morem Cic. *I. 3. off. c. 5.* sequitur, u-  
bi jus Gentium seu naturæ opponit juribus civilibus,  
dum inquit: *Neg. verò hoc solum naturā, i.e. jure Gentium,*  
*sed etiam Legibus populorum, quibus in singulis civitatibus*  
*reip. continentur, constitutum est:* Et hinc est quod stipu-  
lationis species, scil. acceptilatio, juri Gentium adnum-  
erata fuerit: *I. 8. §. 4. ff. de acceptil.* utpote cuius usus etiā  
extraneis permisus erat, cùm alias suā naturā, uti o-  
mnis stipulatio, ita acceptilatio quoque sit juris civilis.  
per *I. pen. de Solut.* §. 9. *Inst. de act. arg. I. 1. ff. locat.*

§. 3. Nec differt à nostro Jure Naturæ id quod  
vulgo dicitur Jus divinum morale, licet differentiam  
quandam constituat Lauterb. *ff. tit. de Just. & jur. in fin.*  
Videtur quidem id interesse, quod hoc scriptum, illud  
verò innatum sit? Verum illud æquè innatum, & in  
scripturam saltem postea redactum est, quo facto non  
alia fit species, cùm idem jus jure quoq; scripto com-  
muni comprehensum, & præcepta naturæ à Romanis  
quoq; in scripturam redacta fuerint. *I. 1. §. 2. in f. ff. de*  
*Just. & jur.*

§. 4. Nec

\* (3.) \*

§. 4. Nec deniq; propriam seu peculiarem speciem facit, quod quidam fingunt, Jus divinum forense universale, quo etiam prohibitiones nuptiarum referre solent. Lauterb. d. tit. verb. universale. Grot. l. 1. c. 1. §. 15. junct. l. 2. c. 5. §. 13. n. 1.: Aut enim DEUS (à quo jus hoc constitutum esse oportet, quia divinum dicitur) voluit, ut ad omnes homines hoc jus pertineret; & erit ipsissimum jus morale seu naturale, quod nihil aliud est quam quod DEUS humano generi constituit: vel, ut faltem ad quosdam; & ita non erit jus universale sed particolare & forense. Evidem speciale quid esse videtur in Sabbatho & præceptis Noachidarum quibusdā, uti de esu sanguinis, & prohibitis cognatorum nuptiis: Verū neque hæc propriam speciem Juris constituant, non magis, quam jus illud, quo Deus permisit Hebræis Ægyptiorum vasa retinere; vel Abrahamo ius sit filium immolare, vel lex circumcisionis &c. sed id quæstionis est, an hæc præcepta ad jus divinum morale, an ad positivum referenda sint? Et quidem septimi diei sacra videntur potius esse moralia, cùm causa præcepti perpetua & universalis sit: et si excusandi sint ii, ad quos præcepti notitia non pervenit, seu quibus lex quasi publicata non fuit. Grot. d. §. 15. ipse hoc asserit, dum inquit: *jura illa omnes homines obligare ex quo quantum satis est, ad eorum notitiam pervenerunt.* De esu sanguinis lex obscurior est, & sententiæ variæ. Vid. Selden. de *Jur. Gent.* lib. 7. c. 1. Evidem si sanguis viventis intelligitur, seu, ut 70. Interpp. οὐέας ἐν ἀμφάς ψεχης, videri potest morale. *Actor. 15. v. 20. E. 29.* idemq; jus ac in septimi diei sacris. Prohibitiones verò nuptiarū in gradib⁹ jure divino memoratis, omnes esse juris naturalis asserimus. Et sic nullū manebit jus forense universale.

§. 5. Missa igitur hac divisionum farragine, quæ

A 2

omnia

\* (4.) \*

omnia miscet & implicat, simplicem & planissimam  
 Jutorū Rom. distinctionem sequimur, quod jus omne sit  
vel naturale, (quo comprehendimus & jus gentium pri-  
 marium) vel Gentium (secundarium quod dicitur) vel  
Civile. tot. tit. Inst. de Jur. Nat. De prima specie, scil. de  
 jure naturali nunc quæstio est: Jus Gentium enim se-  
 cundarium est jus positivum, quod summas potestates  
 (quæ aliarum gentium potestatem legislatoriam in se  
 non agnoscent) non obligat. Hujus autem juris na-  
 turalis, quod idem est ac illud quod divinum morale  
 dicitur, existentia non alias pleniùs ac solidius demon-  
 strari potest, quam demonstrato ejus principio: ut  
 supervacuum sit, ea, quæ Grotius ad existentiam ejus  
 probandam, atq; à Carneadis aliorumq; cavillis & scrupu-  
 lis asserendam adduxit, sub examen revocare: præ-  
 fertim, cum inter cultiores vel faltem non penitus ef-  
 feratas gentes, nedum inter Christianos in controver-  
 siam illud non veniat. Quin ipse gentium consensus  
 quoq; haud leve ad hujus juris veritatem adstruendam  
 momentum affert; nam ubi multi diversis temporibus ac  
locis idem pro certo affirmant, id ad causam universalem referri  
necesse est, que, si recta illatione ex natura principiis procedit,  
jus natura indicat. Grot. prol. §. 40. & late l. 1. c. 1. §. 12. e-  
 gregie hoc asserit Cic. l. 1. off. c. 41. Major enim pars eō  
deferrī solet quod à natura ipsa ducitur. Alia hanc in rem  
 Authorum effata collegit Celeberr. ille literarum Parenſ  
 Dn. J. G. Grævius, Historiographus Regius, & apud Ultrajectinos  
 eloquentia Professor Excellentiss. ad d. l. Cic.

§. 6. Docuit autem hoc Gentes cùm ratio ipsa, Rom.  
 1. v. 32. & c. 2. v. 14. tūm traditio antiquissima, & inde à primis  
 parentibus copta: quibus DEUS non tantum expres-  
 sum jus dedit, sed idem quoq; specie duplicitis arboris  
 adumbravit, atq; his Symbolis justi atq; injusti cogniti-  
 onem

\* (5.) \*

onem nobis exposuit. Gen. 2. n. 9. Prius iubendo, postea prohibendo. n. 17. Id quod egregie asserit Tertull. adv. Iudeos c. 2. In hac lege, nempe de arbore verita, omnia praecepta condita recognoscimus, qua postea pullula verunt data per Moysen &c. Hinc primos mortales secundum naturae regulas vixisse passim legimus Tertull. d. c. 2. Unde Noe justus inventus. si non illum naturalis legis justitia precedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, si non de aquitate & justitia legis naturalis: & alibi, Ante Legem Moysis scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendeo non scriptam, que naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. Senec. Epist. 90. Primi mortalium & ex iis geniti, naturam incorruptè sequebantur, eamq; habebant & ducem & legem &c. Ovid. 1. Met. v. 90.

Aurea prima sata est etas, que vindice nullo  
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat.

Pœna metusq; aberant, nec verba minacia fixo  
Ære legebantur: nec supplex turba timebant  
Judicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.

Tac. 3. ann. 26. dicit: Veterissimi sine mala libidine agebant,  
eog; sine pœna, nec præmiis opus erat; & cum nihil contra  
morem cuperent, nihil per metum detabatur. adde hic Grot.  
1. 2. c. 2. §. 2. n. 1. Imo cognitionem Juris Naturalis in  
gentibus etiam ferocissimis & omnis doctrinae exper-  
tibus passim Autores observant. de Scythis Jus. 1. 2. c. 2.  
Justitia gentis ingenii culta, non legibus: & tum, prorsus ut  
admirabile videatur, hoc illis naturam dare, que graci longa sa-  
pientum doctrinæ preceptisq; Philosophorum consequinequeunt:  
De primis Romanis Sallust. Catil. c. 9. Jus bonumq; apud  
eos non legibus magis, quam natura valebat: Lactant. 3. 15. fin.  
non disciplina eos ad rectum, sed natura perducit; que sapi-  
ens etiam indoctos impellit ad laudem: ita legati Corinthiorum  
apud Thucyd. 1. 1. Quod nos natura obtinemus, hoc

illis nequaquam doctrinā contingit. Porro jus aliquod omnibus hominibus latum esse patet ex descriptione quæ refertur in §. 11. de f. N. G. & C. Quod apud omnes gentes peraq̄ observatur. & s̄emper firmum atq̄ immutabile manet: & in disf. 1. c. 7. Ius naturæ est commune omnium nationum. A Cic. l. 2. LL. c. 22. describitur aeternum quoddam quod universum mundum regit, Hesiod. oper. p. m. 21.

νοῦ δινῆς ἐπάντε

τὸν δὲ γαρ αὐθόποιον νόμον διέταξε προνιών.

Et justitia quidem animum adjice.

Namq; hanc hominibus legem disposuit Saturnius.

Imo Sen. Ep. 40. ex societate jus aliquod communne mundi deducit. & secundū hoc naturæ jus vivere summum bonum dixere Sen. de Or. sap. c. 31. Cic. de LL. l. 1. c. 21. & l. 1. off. c. 28. Deniq; ex internis motibus, omnibus hominibus insitis id deducit Grot. proleg. §. 20. & ipse Apostolus ad Rom. c. 2. §. 14. cum gentes qua legem non habent, natura suāpte faciunt ea qua legis sunt; isti legem non habentes sibi sunt lex, ut qui ostendant ipsum opus legis, mentibus suis inscriptum, simul testimonium reddente ipsorum conscientia & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus. & hinc Ciceroni in Or. pro Mil. dicitur lex quam non didicimus, legimus, accepimus, verū à natura ipsa arripiuimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus: Ita Philo apud Grot. l. 1. c. 1. §. 10. n. 1. innot. Est autem vera lex recta ratio non ab hoc aut illo mortali mortalís, non in chartis aut columnis exanimis ex anima, sed corrumptu nescia quippe ab immortali natura insculpta in immortali intellectu. Unde Cic. definit c. 13. invent. quod nobis non opinio sed quedam innata vis afferit. Hinc optime Hyeron. ad Gen. 2. inquit, nulla existabat lex de vindicando parricidio & tamen ex ratione judicavit Cain se mortem meruisse & ex horrore conscientia dicit, omnis qui invenerit me, occidat me.

§. 7. Hu-

§. 7. Hujus æterni perpetuique juris principium, quod nunc indagamus, alii aliud posuerunt. Grotius, Vir omni elo<sup>gi</sup>o major, postquam juris naturalis tractationem postliminio quasi reduxit, illud ex Custodia Societatis humano intellectui convenienter, tanquam ex certissimo fundamento, primâque origine deducere nititur: utpote cùm

nulla societas, & sic nec illa, quæ genus humanum aut populos complures inter se colligat, sine jure subsistere posse. Vid. Grot. de J. B. & P. in Prefat. §. 7. 8. & 23.

In quod deinde magnâ confensione itum est. vid. Puffend d. tract. lib. 2. c. 3. §. 15.

§. 8. Nam neque Hobbesius neque Cumberlandius, duo Angli, et si contrariâ viâ incedant, & adversis frontibus pugnant, re tamen vel à Grotii principio, vel quod mirum, inter se discrepare principii ratione non videntur. Redit enim summa eorum, unde tractatum ordiuntur, ad societatis hominibus connatæ custodiā; quam Grotius ipsam nominat, reliqui vero ejus occasionem, Hobbesius scil. mutuum metum, Cumberlandius mutuam benevolentiam afferunt: Uterque inde homines in mutuam societatem coaluisse infert, sed alter mutuo metu, alter mutuâ benevolentia ad eam adductos impulsosque fingit, eoq; ambo in Grotii sententiam, quod juris principium spectat, conspirant.

§. 9. Verum, quod pace Doctissimorū Virorum, & salvo omnium judicio dictum sit, societatem humana neque primum, neque adæquatum aut sufficiens hujus juris principium videri, neq; principii rationem ullo vero sensu induere posse, econtrariò autem Summi Creatoris voluntatem hujus prædicti juris, quod omnes homines obligat, unicum, solum, verum & adæquatum

æquatum esse principium genuinumque fontem, sentio, idque jam breviter demonstratum dabo; præmisso saltem, quale principium quæratur.

§. io. Est vero principium juris primum & adæquatum illud, ex quo omnia juris naturæ præcepta ultimò per legitimæ consequentiæ leges inferuntur, atq; in illud deniq; iterum resolvuntur. Neq; vero sufficit, aliquam juris rationem inde peti, aut applicationem aliquam fieri posse, sed tale esse oportet, unde jus omne naturæ necessariò sequitur uti conclusio ex præmissis; alioquin enim non demonstratur jus certo à natura sancitum esse, nisi consequentiæ necessitate ex illo naturæ principio id sequi eviceris: neq; enim certum naturæ jus est, nisi tale ejus principium ponatur, ex quo appareat, non jus aliquod inde constitui posse, sed constitui debere.

§. ii. Cum vero tale jus jam quæramus, cuius præceptis omnes omnino homines, totumq; humanum genus obligetur, videndum est, quænam sit vis illa, quæ omnes homines obligare posse ad parentum. Atq; ita principium obligationis quærendum est, quia sublata obligatione omne ius tollitur. Aut enim eo jure homines obligantur ad aliquid agendum vel omitendum, & tum hujus obligationis causa & principium investigandum est; aut non obligantur, & sic liberum cuiq; erit agere vel non agere prout lubet, nec ulla foret injuria, quia nemo ad aliter agendum obligatus esset, adeoq; prout quisq; ageret, jure & nunquam injuriâ ageret. Hujus igitur obligationis causa non modo investiganda sed & demonstranda est, quæ libertatem hanc agendi quod lubet restringat & cohipeat, & vinculum aliquod necessitatemq; quædam agendi vel omittendi injicere posit; Quæ causa tum erit primum & adæ-

& adæquatum juris naturalis, quo omnes homines obligantur principium.

§. 12. Illud igitur ut demonstretur, primum equidem constat, ex voluntate & iussu Creatoris obligari omnes, quæ intelligere id posunt, creaturas: quia creatoris absolutum est in creaturam suam imperium, quippe quam potuit creare vel non creare, & quācumque placuit lege creare. Et, cūm in confessō sit creatoris omnipotētia, nihil certius est, quām eum, qui potestatem in omnia habet, etiam eam in hominum actiones habere, easq;, & omnes hominum facultates arbitrio suo restringere, & legibus coercere ac temperare posse, & hoc creatoris arbitrio omnes homines obligari.

§. 13. Hoc ergo primum indubitanter demonstratum est juris principium obligatorium, adeo ut ne hæsitandi quidem ullus de eo locus reliquus sit.

§. 14. Hoc jam infallibiliter demonstrato, si quis aliud ei principium adjungere velit, illi ejus rei exacta probatio priorsus incumbet. Principio enim non accurate probato, nihil inde inferri probariq; poterit. Tūtò igitur acquiescere possem Sanctissimæ hujus iurium causæ demonstratione, donec illi, qui societatis humanæ custodiam juris naturalis principium faciunt, aut alteri principio aggregant, illud plene probarent, & ex illa custodia omnes homines ultimò, quin non aliter, naturā obligari; id enim exigit natura principii primi & adæquati. Verūm non derelinquam eo in loco causam, sed porro ostendam ex præmemorato principio unicē & solum; ex ipsa vero custodia humanæ societatis nullam, nedium omnem obligationem, quæ omnes homines vinciat atq; adstringat, oriri.

§. 15 Hoc verò primum inde patet, quia custodia huma-

humanæ societatis per se nihil continet nisi communem hominum utilitatem, & quidem duraturam; atq; ita jus omne naturæ unicè constitutum eset ad hominum commune & constans commodum. Atqui tantū abest, ut homines omnes ex communi sua utilitate obligentur, ut econtrario omnibus suis communibus commodis renunciare, eaque deserere, atque ita jus hoc omne ex eo natum tollere possint: de suis enim utilitatibus & favoribus quemque disponere posse constat. Quælibet enim societas, quæ superiorem non habet, uti humana, de communibus, perinde ut privatus de privatis suis utilitatibus disponere arbitrio suo potest. Hoc aut concedas oportet, aut dicendū erit, quæ vis homines in id consentientes impedit, eosq; ita obliget? Si Deum dixeris, hoc ipso agnosces principium obligationis in solo Deo esse, non in custodia societatis.

§. 16. Hoc confirmatur exemplo juris civilis, quod ad utilitatem communem civium & ad constantem custodiam societatis civilis æqve constitutum est. l. 13. ibi. ad eandem utilitatem. l. 25. ff. de Legib. juxta illud *Salus populi suprema lex esto:* & illud Horat. de Jure Civili loquentis :

*Utilitas justi prope mater & equi.*

Illud vero jus Civile totum communi civium consensu mutari ac tolli posse constat. § p. Inst. de Jur. nat. Quâ ratione igitur populus liber jus ad custodiam & utilitatem suæ Civitatis constitutum suâ voluntate abolere potest, eâdem multò magis universa humana societas jus ad ejus custodiam constitutum poterit.

§. 17. Hâc ratione porrò quoq; tolleretur omnis differentia inter jus naturæ & jus Gentium positivum & secundarium quod vocant. Hoc enim est ipsum illud jus, quod gentes humanæ ad communes suas utilitates

litates & necessitates constituerunt, uti id describitur in §. *jus autem Gentium*. *Inst. de j. N.* & *Gent.* ubi dicitur: *Nam usū exigente & humanis necessitatibus Gentes humana jura quedam constituerunt: quæ species iuris distinguitur ab altera illa quæ in §. 1. *Inst. eod.* describitur, jus quod naturalis ratio inter omnes homines constituit: aliud enim jus est, quod ipsæ Gentes humanæ sibi constituunt, d. §. 5. aliud quod Naturæ ratio inter Gentes. d. §. 1. Hæc verò duo jura confundit Grotii sententia, quæ jus quoque naturale utilitate communi gentium metitur, & in custodia humanæ societatis id ponit.*

§. 18. *Quin*, hoc ipso incidit in sententiam Carneadis, quam tantopere impugnat; Ejus enim principium fuit humanæ societatis utilitas & custodia. Nam non est credendum, adeò eum insanivisse, ut præsentem & momentariam utilitatem privatam ille intellexerit, exclusâ illâ publicâ & perpetuâ; quâ sublatâ, etiam privata utilitas, quæ publicâ continetur, omnino tollitur. Neq; de ulla homine sanæ mentis, nedum de Philosopho credendum est, quod stultum dixerit eum qui in futurum quoque de perpetua & duratura felicitate, ( quæ nisi publicâ sit durare non potest ) & non tantum in præsens sibi prospexerit; cùm contrâ stolidissimus ille omnium iudicio foret, qui tantum præsentia curaret, nihil sollicitus de statu futuro, cuius privata securitas publicâ nititur. Non potest igitur ostendi, quâ re Grotius ab ipsius Carneadis sententia dissideat.

§. 19. Præterea, negari nequit, quod utilitas, uti cuiusq; civitatis, ita totius humanæ societatis, temporibus variare possit; Quæ & causa est cur Leges Civiles adeò varient, totiesq; mutantur mutata temporum

conditione acutilitate; quorum illæ vices adeò sequuntur, ut totum prope jus mere civile, pro ut legibus 12. Tabb. id descriptum fuerat, & sub libera Rep. obtinuerat, deinde Imperatorum ævo mutatum & propè inversum, quodq; olim civitati maximè proficuum habebatur, postea ei noxiū visum fuerit. Sic & societatis humanæ rationes alio seculo aliæ esse posunt, & cum ævo consenescere atque mutari: quomodo jura Gentium positiva seu secundaria, quæ utilitatem gentium communem seqvuntur, d. § 5. cum eādem varie alterata videmus; exemplo eorum, quæ inter modos juris gentium referuntur in tot. tit. Inst. de Rer. divisi. sed hodiē pleraq; mutata sunt. Sic igitur jus Naturæ, quod ad rationes societatis humanæ exigitur, non esset jus constans, æternum & immutabile, ut vocatur in §. pen. Inst. de Jur. Nat. sed pro temporibus & ratione utilitatum variis & mutabile, adeoq; revera jus positivum.

§. 20. Nequè tantum hâc ratione temporibus, sed & locis variaret jus Naturæ, cùm enim eodem tempore quoque aliâ orbis parte aliæ rationes sint & esse posint societatis humanæ, non minus singulis applicandum esset jus Naturæ, ac singulis civitatibus Jus Civile. Notum enim est, in singulis ferè populis pro conditione & indole civium esse peculiares custodiæ & securitatis civilis rationes, unde jura civilia, publica & privata tantopere, inter vicinas quoque gentes, variant, nedium inter disstisimas. Quod idem accideret quoque Juri Naturæ, si illud sequeretur utilitatem Societatis humanæ locis variantem. Nec ferè magis illud sibi constaret, quam jus civile: in primis, cùm utilitas illa societatis humanæ divelli ac separari haud facile possit ab utilitate membrorum & singularum civitatum, quarum multiformis ratio non permitteret, ut jus

jus constans ac perpetuum ab utilitate illa adeò variā constitui posuit.

§. 21. Ulterius, et si societatis custodia ejusque ratio nec temporibus nec locis variaret, sed & semper & ubique eadem esset, adhuc tamen jus, quod ab illa custodia dicitur, incertum indefinitumque penitus esset; quoniam custodia illa variis modis, remedii ac legib⁹ fieri ac defendi potest: quemadmodum civitatum quoque custodiā, illi populi, inter quos eadem est utilitatis & securitatis ratio, diversis legibus regere ac tueri possunt & solent. Atque ita nihil certi ac perpetui juris ex hac custodia humanæ societatis inferri potest.

§. 22. Hoc quoque factō ipso agnoscere oportet Grotium, qui ipse in toto opere suo, vix ullam quæstionem, cui equidem momentum inest, ex hoc principio solvit, sed, perinde ac si nullum principium hujus disciplinæ proprium esset, omnia ex aliis aliundē præcario acceptis rationibus decidere satagit; scil. ex jure Romano, Sacris, Ethicis, Authorum sententiis, &c, si nihil aliud occurrat, ex meritis conjecturis, satis longe plerumq; petitis, nedum ut iis legitima consequentiae ratio constet: quin plurima arbitrio suo ponit, ad principii vero fontem vix quicquam reducit, ut totum illud principium custodiæ societatis in universo opere propè inane & otiosum videatur.

§. 23. Imo ex hac societatis humanæ custodia æq; inferri possunt quæ turpia sunt, & à jure naturali abhorrent, uti promiscui concubitus, &c. Illi enim ad augendam propagandamq; societatem plurimum conducerent: uti patet exemplo Sparnatorum, qui cùm jurejurando se adstrinxissent, ne domum nisi expugnatis Messeniis reverterentur, obsidione urbis in de-

cennium jam tractâ, nullâq; interim prole subnâscente, juventutem nullâ religione impeditat domum misere, ut promiscuè cum fœminis cohabitarent; *Maturiorem* (sunt verba Justini *Hist. l.3. c. 4.*) *futuram conceptionem rati, si eam singuli per plures viros experientur.* Quod si igitur custodia humanæ societatis sit verum juris naturalis principium ei verò augendæ & propagandæ conducant promiscui concubitus, hi juris naturalis sint oportet.

§. 24. Frustra vero est, si quis instet, Grotium non intelligere quamlibet societatis custodiā, sed convenientem humano intellectui. Nam Resp. verba hæc sunt, quæ nihil certi significant aut definiunt: nam hoc ipsum quæritur, quid humano intellectui conveniat. Hoc igitur cùm aliunde dignoscendum atquè adeò ex alio principio definiendum sit, sequitur hanc custodiā societatis, cuius fines ex alio principio constituendi sunt, non posse esse juris naturalis principiū.

§. 25. Quin licet Grotius in *Proleg. §. 16.* neget se utilitatem aliquam respicere, dum inquit: *humanam naturam nos, etiam si nulla re indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferre:* tamen hæc assertio factō contraria est: nam quo aliàs tenderet illa custodia, nisi ad sociorum utilitatem; qualiscunque tandem illa sit? Verbo enim utilitatis omnis commoditas in genere intelligitur, etiam quæ ad animum pertinet, uti voluptas, & qualiscunque jucunditas. Etsi igitur aliquis nulla plane in re societate indigeret, (quod tamen vix intelligi potest) tamen hoc ipsum, qvod jucunda ipsi hominum consuetudo, & tristis solitudo, utilitas societatis est; & sic qui ad societatem fertur, necessariò fertur ad suam utilitatem.

§. 26. Quam verò obligationem pariet cogitatio

tio custodiæ societatis humanæ, si forte Rex, viribus suis satis potens nihilq; potentiaæ humanæ veritus, injuriam paret, &, uti v. gr. Alexander Macedo, victo Dario, jām orbi terrarum vincendo par nihil in ter-ris timeat. Quid amabo! eum deterrebit ab injuria, ab invasionibus, fævitia &c. Sane idea illa alicujus custodiæ societatis nihil ipsum movebit, nec hæc illum nomina terrebunt: sed, si audierit, se non impediri nisi propter custodiam seu utilitatem communis humanae societatis, eā nihil ad se pertinere putabit, quia eā non indigeat, omniq; illius societatis præsidio ac utili-  
tati renunciet: Id Cicero perspicuè ita describit Lib. i.  
de Legib. n. 42. Quod si omnia, ut iidem dicunt, utilitate mctienda sunt, neglet leges easq; perrumpet, si poterit, is qui sibi eam rem fructuosam putabit fore: ita fit ut nulla o-  
mninò sit justitia si neque à natura est, & ca, que propter utilitatem constituitur, utilitate illa convellitur. Conf. Sen.  
I. 4. de benef. c. 2. Etsi autem Grotius proleg. §. 22. etiam potentissimos Reges aliorum societatem appetere affirmet: ta-  
men non qværimus quid actu agant, sed, quid posito hoc principio seqvi positi. Igitur inane idolum erit custodia societatis humanæ, & impotens nimis ad vin-  
culum juris injiciendum & obstringendum religione eum, qui suis viribus confidit, eoq; tutò injuriam fa-  
cit. Qvem enim vereatur. Si Deum dixeris, agno-  
scis iterum ab eo solo vim atq; originem juris & obli-  
gationis esse.

§. 27. Patet ergo nullam ex hoc principio seqvi obligationem, qvia omnis obligatio supponit jus-  
sum superioris; ast hoc principium neminem ponit superiorem: Non Deum, qvia hunc excludit Grotius  
*vid. infr. §. .non alium, qvia nihil extra Deum humano ge-*  
*nere superius est: Patet id porrò, qvia poneretur ita Deo*  
aliquid

aliquid coæcum, qvod totum humanum genus obligaret, eiq; necessitatis legem imponeret; qvin Deo ipsi, utpote cum ex sententia Grot. ille tantum consequenter illud jus qvod ex custodia societatis fluit, probaverit, nec improbare potuerit, quasi per se bonum atq; justum sit. *vid. infr. 5.* Accedit, quod ipse Grotius agnoscat quædā prima naturæ *l. i. c. 2. §. i. n. 1.* quæ non ex societate consequuntur, uti ipse fatetur, *s. b.* sed ipsam socialitatē ex illis primis naturæ seqvi asserit; unde ergo sunt illa prima naturæ? Imò de omnibus criminib⁹ dispensari posset, utpote cùm humana societas de suo jure posset disponere. Ast DEUS non posset disponere circa hoc jus naturæ, & sic male fecisset jubendo & Abrahamus sacrificaret Isaacum &c: & hinc contradicit sibi Grotius asserens *l. i. c. 1. §. 10. n. 6.* non esse homicidium quod Deo Authore fit: si autem per se & ex natura socialitatis hoc illicitum esset, Deus illud licitum facere non posset: Deniq; ipsa societas à DEO est constituta *vid. Cic. 3. off. c. 6. etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt, ab iis enim constitutam societatem inter homines evertunt ita Senec. Ep. 95. naturam (quæ nihil aliud est quam Deus) nobis mutuum amorem indidisse, nos sociabiles fecisse,* inquit, adeoq; qvicq; id juris est in societate, à creatore suo, nihil vero id à se ipso habet.

*§. 28.* Atque ut hoc satis demonstratum jam est, Dei Creatoris voluntate atque imperio homines omnes indubie obligari, certissimumque adeo id juris & obligationis principium esse; ita non minus verum est id principium solum & unicum esse: Nam cum præter creatorem reliquæ res omnes creatæ sint, res autem creatæ nihil à se, sed omnia sua, omnemque in primis agendi facultatem à solo creatore suo habent, sequitur, quod nulla res creata facultatem actionibus

nibus hominum legem dicendi habeat, nisi à creatore suo sibi concessam. Ergo in solo Creatore principium est leges actionibus hominum dandi, non in eo, cui à Creatore id concessum est, uti summis terrarum potestatisbus. Nequæ hæc igitur, neque societas humana, nedum nescio quæ custodia ejus societatis per se facultatem obligandi homines habent, sed à Creatore concessam, adeoque hic solus, non illæ, sunt principium omnis juris & obligationis. Unde nec Magistratum leges obligant cives nisi propter jussum ac voluntatem Creatoris, qui cives summæ potestati subjectos esse voluit.

§. 29. Idem aliâ simili ratione induci quoq; potest: Ex eo enim, qvod omnes homines pro lubitu agendi facultatem omnem à solo Creatore, non aliunde, habent, sequitur, qvod nulla res creata absq; concessu Creatoris legibus eam restringere, cohibere, atq; adeo homines obligare & necessitate qvadam agendi vincire possit, cùm res creata ex se nihil juris habeat in opus Creatoris sti. Qvinimò ex hac ipsa voluntate Creatoris, qvi facultatem ita liberè agendi, qvat. ipse non prohibuit, homini concessam & permisam voluit, obligantur omnes res creatæ, ne quid in eo mutent, nisi ab ipso Creatore id concessum fuerit. Et proinde nullum omnino jus, nulla obligatio existere, aut ullam vim habere potest, nisi ex Creatoris voluntate ultimò dedicatur; qvæ proinde omnis juris solum, unicum & verum est principium.

§. 30. Et hoc jus omne, ex Creatoris voluntate profectum, esset ac maneret jus, et si societatis studium inter homines nullum esset, aut à Deo extinctum esset. Nihilominus enim verum maneret, quod uni hominum Deus concessit, id à nemine alio ei afferri posse:

C

&amp; pro-

& proinde, sublatâ quoque inter homines societate, adhuc tamen generalissima, quæ reliquas omnes complectitur, regula maneret: NEMINEM LÆDI. Non potest itaque principium juris ullo modo videri, quod tolli plane potest salva juris existentia: uti societas inter homines, & ejus consequenter custodia. Principio enim juris genuino posito jus poni & sublato tolli necesse est.

§. 31. Quemadmodum etiam experientiâ ipsâ firmitatur, jus Naturæ extra societatem quoq; est; id quod egregiè indigitat Aristot. i. Rhet. 13. est quoddam, quod augurantur omnes naturâ communis justum & injustum, etiam si nulla societas invicem sit, nullave pâctio. ut scil. non tantum illud jus naturæ, quod est inter Deum & homines; sed & quod inter Angelos & homines; et si enim inter eos naturâ societas constituta non sit, non tamen vel hominibus licitum est, in angelos injurias, v. gr. convitia evomere; nec angelis, jura hominum ipsis auferre. Eremitæ, et si omni societati renunciarerint, tamen obligantur jure, ut alii. Latronum collegia, et si humanæ societatis hostes, & extra eam sint, non tamen eò minus tenentur legibus. Denique jura Naturæ quæ omnib⁹ animantibus communia dicuntur, non sunt ex ratione societatis humanæ, quæ non est inter bruta; & nihilominus, uti citra societatem suo modo sunt in brutis, ita & manerent in hominibus, et si communis illa societas, quam natura inter homines esse voluit, plane extincta fuerit. Atque ita non potest illud principium Juris videri, quo sublato quoque jus manet, & ideo ab alio principio necessariò existit.

§. 32. Principium quoq; juris naturæ adæqvatum intelligi id non potest, ex qvo non possunt omnia naturæ jura ritè inferri: id enim dicitur Juris principium adæqva-

adæqvatum. Ea verò ex custodia societatis humanæ neutiqvam inferri possunt. Ex toto enim hoc theore-mate, qvòd Natura, seu Creator societatem inter ho-mines esse voluerit, nihil amplius rite concludi po-test; qvām, ea, qvæ destruunt & tollunt hanc societa-tem, prohibita esse. Hæc verò qvantulacunq; pars est juris naturalis, & ad homicidia, latrocinia, & pau-ca similia pertinet: reliqua ergo jura extra hujus prin-cipiū fines posita sunt.

§. 33. Sed hoc ipsum, qvòd non possint ea fieri, qvibus societas humana destruitur, non est ex princi-pio societatis, sed ex voluntate Creatoris, qui societa-tem inter homines constituit, *sup. §. 27.* eōq; salvam il-lam esse voluit. Hæc demum voluntate Creatoris ho-mines obligantur. Deniq; latrociniorū, homicidiorum, & similiū, qvæ societatem destruunt, prohibitio, non tantum ex societate ab ipso constituta, sed & ex aliis plurimis casis inferri & ostendi posset; & voluntas ista Creatoris aliis quoque argumentis, qvām ex so-cietate probari potest. Non tantum enim Deus societatem humanam, sed & singulos homines, & singu-las res eorum, prout ipse concessit, salvas esse voluit; adeoq; sublata quoq; societate homicidia & latrocinia manerent prohibita.

§. 34. Atqve hæc eadēi quoq; est sententia ju-ris Romani, qvod in hac thesi fundatur: Expressè enim dicitur in §. penult. *Instit. de Jur. Nat. & Gent.* Jura naturalia divinā providentiā constituta, & ideo semper fir-ma ac immutabilia esse: cum reliqua omnia sint mutabili-a *d. §. pen.* Quid autem aliud est divina providentia quam DEUS ipse. Confirmat hæc altera definitio, in §. i.d. tit. exposita; jus naturæ esse: qvod naturalis ratio inter omnes homines constituit: nam, uti egregie lo-qvitur

qvitur Hierocl. in aur. Pythag. Carm. n. 29. *Idem est rationi parere atq. Deo; natura enim, qua rationis est particeps, cum splendorem suum, suamq. lucem fortita est, ea ipsa amplectitur, que divina lex statuit, nec discrepat à Dei sententia animus, qui secundum Deum sē habet:* Hinc Trismegistus *τὸν θεόν, καὶ τὸν πρὸς Synonymis habet, & hanc quovque Platonis aliorumq; fuisse sententiam egregie demonstrat Celeberr. Græv. ad Cic. l. 1. de off. c. 10. p. m. 314. Conf. Senec. Ep. 31. Dei ergo voluntas demum, jus immutabile facit. Et, qvemadmodum omnia iura à constitcente vim ac nomen accipiunt, leges à populo, SCta à Senatu, constitutiones à principe, plebeisita à plebe, jus secundarium Gentium à Gentibus, *S. Ius autem gentium. cum §§. seqq. cod.* ita ius naturæ ab ipso Authore naturæ. Non enim verbo Naturæ aliqvid inanimati intelligitur, cui constitutio juris tribui nequit, sed ipsa rerum causa, Deus. Seld. de J. N. & G. l. 1. c. 8. Puffendorf. de J. N. & G. l. 1. c. 3. Hinc Senec. l. 2. Nat. quest. c. 45. vis DEUM naturam vocare? non peccabis: Item, l. 4. de benef. c. 7. Quid enim aliud est natura quam Deus. Et c. 8. Sic nunc naturam voca, fatum, fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, variè utentis suā potestate. Conf. locum Chrysostomi apud Grot. in not. ad proleg. §. 12. Cum naturam dico, Deum dico; ipse enim est naturæ opifex. Plin. l. 1. c. 7. in f. Per qua declaratur naturæ potentia, idq. esse quod Deum vocamus. Ita Cic. 3. off. c. 5. Atq. hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, qua est lex divina. Et in Cat. Maj. c. 2. In hoc sumus sapientes quod naturam optimam ducem tanquam Deum sequimur &c.*

§. 35. Qmnes autem Gentes naturā & ratione ductæ in hoc principio convenient, nec illud, nisi Creatorem suum negarent, negare potuere: Graviter id exprimit Autor antiquissimus Hesiodus; qui ἔπειον

IIIIVP

p.m.

\* (21.) \*

p.m. 18. inf. Justitiam Jovis filiam fingit, quæ à mor-  
talibus se laesam apud patrem queritur:

Ἱ τε παρθένον δῖην δίος ἐκγεγαγῆσα,  
κεδὴν τ' αἰδοῖν τὸ θεῖον, οἱ ὄλυμπον ἔχοσιν  
καὶ ρόποτ' ἀντὶ τοῖς μιν βλάσπητη σκολιῶς ὄνοτάζων,  
ἀντίκα πάρ διὶ πατερὶ καθείσομεν κερνίσων,  
γηρύεται αἰθρώπων ἀδικον νόον :

*Virgo autem est justitia, Jove prognata;  
Claraq; & veneranda diu qui cælum habitant.  
Et certe si quis ipsam laeserit, oblique injurians,  
Statim ad Jovem Patrem considens Saturnium,  
Conqueritur hominum iniquam mentem;*

& hinc Jovem varias calamitates variaq; pœnarum  
genera in humanum genus decernere tradit. d.p. 18. pr.

οἵ τε ὑβρεις τῷ μέμυτοι παῖσι, καὶ χέτλια ἤργα,  
τοῖς ἡ δίκαια κερνίδης τεμαρίσταις οὐρόποι ζεῦς.

Sed quibus injuriaq; mala cura est, pravaq; opera,  
Iis pœnam Saturnius destinat, late cernens Jupiter

Et mox

τοῖσιν ἡ δέρανόθεν μέγ' ἐπηγαγέ τῷημα κερνίσων. XIX  
λιποὺ δύστη προ λοιμὸν. αἰτοφθενύθετο ἡ λαοὶ<sup>τοιστερον</sup>  
εὖδε γυναικες τίκτουσι, μινύθετο ἡ σῖνοι,  
ζήνως Φερδμοσωῆσι οὐλυμπίσ.

Illi autem cælitus magnum malum Saturnius,  
Famem simul & pestem intereunt dero populi.  
Neq; mulieres pariunt, decrescuntq; familia  
Jovis Olympii consilio.

Itmo exprese Deum hominibus legem dedisse afferit  
p. 20. dum ita alloqvitur Persam;

Kai νο δίκης ἐπαύεται, Βίης δὲ ἐπιλήθεο πάκτων.  
τὸν ἡ γδ αἰθρώπων νόον διέταξε κερνίσων.

- Justicia quidem animum adice, violentia dero obli-  
viscere prorsus

Namq; hanc hominibus legem dispositi Saturnius

C 3

Et

\* (22.) \*

Et mox  
αὐθεντοῖς δὲ ἑδωνεῖς δινέω, οὐ πολλὸν αἴσιν  
γίνεται.

Hominibus autem dedit justitiam, quam multo optima  
Est,

Sophocles in Oed. tyr. n. 875. p. 267. Jus naturæ vocat leges  
que cœlitus

Date sunt, quarum

Solus Deus Pater est, neg, eas

Mortalis hominum natura peperit.

Egregius plane locus est apud Xenoph. 4. memorab. n. 308. quem exhibit Temm. ad prol. Grot. §. 12. anne quasdam in Hippia non scriptas leges esse nosti? eas, ait, quæ ubivis locorum eodem modo obseruantur. Hasne dicere potest ab hominibus esse conditas? Qui possum, inquit, cum homines universi convenire non possint, nec eodem sermone utantur. Quosnam igitur, ait, has leges hominibus condidisse arbitraris? equidem, ait, his à diis ferri existimo. Cic. l. 2. de LL. c. 22. ex mente philosophorum definiens legem naturalem inquit, principem illam legem & ultimam esse, omnia ratione aut cogentie aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Ita cap. 23. Legem naturalem equalēm illius cœlum atq; terras tuentis Dei vocat. Et mox injustitiam Sext. Tarquinii, vim Lucretiæ inferentis, deducit ex lege quam simul cum mente divina orta est, & tūm statim subjicit: Quamobrem lex vera atq; princeps apta ad jubendum & ad vetandum ratio est recta summi Jovis. Et deniq; c. 26. ergout illa divina mens summa lex est: Item in fragmentis de Republ. l. 3. de lege illa æterna dicit, ejus inventorem dis. eptatorum & latorem Deum esse. Ita Tertull. de Coron. Mil. vocat Legem Dei & Chrysost. orat. 80. Jovis sanctum: Omnia clarissime, licet nimium indistinctè id dicebat Anaxarchus

chus apud Grot. l. 1. c. 1. §. 15. non ideo quid Deum velle,  
quia justum est, sed justum esse, i.e. jure debitum; quia iura Deus  
voluit: Conf. leg. 2. de Legib. Consentit quoque Stoico-  
rum Philosophia, qvijuris originem ab ipso love pe-  
tendam censuerunt vid. Grot. prol. §. 12. Facit huc lo-  
cus Chrylippi quem citat. Grot. in not. d. §. Non potest  
inveniri principium aliud aut origo justitia, quam ab Iove &  
communi natura; inde enim initium duci debet ubi de bonis  
malisq; differendum est. Et haec quoq; est mens Euripidis  
apud Grotium prol. §. 2. ubi Helena Theonoen ita allo-  
quitur.

*Nam turpe id esset, cum scias hominum ac deum  
Quod est eritq; justa te haud cognoscere.*

Cujus sententia est, non quasi scientiam juris natu-  
ralis præferat rerum divinarum atq; humanarum co-  
gnitioni, sed irridet Theonoen, quod jactaret se cogni-  
tionem rerum quæ ad homines Deosq; pertineant ha-  
bere, cum tamen nesciret, quod in Dei cognitione  
principium est, scl. justitiam, vel quod idem est, ejus  
voluntatem. Conf. Seld. de f. N. l. 1. c. 8.

§. 36. Non est igitur tolerandus, si quis præfracte  
principio societatis inhærere, & vim sanctissimi, quod  
jam adstructum est, principii eo vel eludere vel effu-  
gere velit, ut dicat: *custodiā humānā societatis esse tamen  
genuinum, manifestū, sufficiens & adēquatum juris natura-  
lis principium, hac tenus, ut non sit ullum præceptum juris na-  
turalis, alios homines spectans, cuius ratio non ultimō exinde  
petatur; Sed DEUM non excludi, vel Deum presupponi ut  
vim legum habeat.* Dn. Puffendorff. de Fur. Nat. l. 2. c. 3. §. 19.  
Quæ hac tenus non modò abundè refutata sunt, sed &  
manifeste secum pugnant. Primum enim apertâ fron-  
te pugnant, omnia juris præcepta *ultimō à socialitate  
deduci posse, & tamen necessum esse DEUM præsup-  
poni.*

poni. An igitur socialitas illa anterior Deo est, ut dici poscit, eam ultimum, unde jus deducatur, esse principium? Rursus, quomodo dici potest, Deum præsupponi necesse esse, & tamen socialitatem esse principium ultimum? Non enim ultimum est, quod aliud adhuc præsupponit. Major quoque contradic̄tio est in eo, quod dicitur, à socialitate omnia juris præcepta ultimo deduci, & tamen ut vim legum dictamina illa rationis obtineant, præsupponi debere Deum ejusq; providentiam. An igitur concipi potest jus naturæ quod non habeat vim legum? Nunquam possunt separari jus & vis legis; Utinulla lex est, nisi vim legis habeat, ita nec jus, nisi vim legis & vim juris: inter vim legis & vim juris autem quid interest? Quod si ergo nullum jus sit à quo vis legis abest, sequitur necessario, jus illud quod à socialitate ultimo deducitur, non esse jus, & ne umbram quidem juris: quippe quod intelligi non potest absq; vi legis. Atq; ita uti hoc principium, per jam concessa, omni vi legis ac juris, (quippe quam demum ex Dei voluntate oriri in confessu jam est) omnino destitutum est, & jus quod inde ultimo deducitur, omni vi juris legisque vacuum est & sic, uti principium, ita & jus inde deductum, inane, imaginarium, umbratile, quin merum est non jus. Econtrario ex his ipsis concessis quoq; indubitatō sequitur, quod abunde hactenū demonstravi, Creatoris voluntatem esse unicū & adæquatū juris naturalis principium: custodiā autem humanæ societatis neutiquam:quia, ex concessis, omnis vis legum ac juris ultimo ab illa, ab hac autem nulla, nedum ultimo oritur ac deducitur.

§. 35. Tolerabilius est, quod D.Puffendorf. dicit.  
lib. 2, cap. 3. §. 5. socialitatem saltem modum probandi esse statuit, & concessio Deum esse primum juris naturalis

turalis principium, sed eum constituisse socialitatem;  
 & dum voluit homines esse sociales, simul omnia iu-  
 ra ad homines spectantia sancivisse.

§. 38. Verum & hæc primum gravissima pugna  
 est, esse modum tantum probandi & cognoscendi, &  
 tamen principium ultimum; aliud enim est primum  
 principium, aliud modi, quibus ex illo reliqua dedu-  
 cuntur & probantur. Deinde, id omnino ferrinequit,  
 quod dicitur, societatis custodiā esse modum cogno-  
 scendi unicum & adæquatum, quo solo omnia juris  
 naturalis præcepta probari possint. Hoc enim ut fa-  
 cile dictu est, ita probatu impossibile. Cùm enim id  
 adeò in confessō jam sit, ut ipse Dñ. Puffend. in d. §. 5. dicat,  
*nemini fano de eo dubitare licere*, quod quicquid Deo volu-  
 it, id jus faciat inter homines, & omniō vim legis habeat,  
 unde probabis. Deum nihil aliud voluisse inter homines,  
 quam societate, adeoq; nulla alia esse jura, quam quæ ex  
 societate illa inferri possunt? Quasi Deus nihil aliud  
 ab hominibus requisiuerit quam societatem; imò quasi  
 nihil aliud fecerit; nam si præterea quid fecit ac con-  
 didit, ex illis quoq; factis inferri voluntas potest, cùm  
 ex factis æquè ac ex verbis apparere posit voluntas  
 facientis. l. 5. ff. Rem. rat. hab. l. fin. §. fin. ff. de Divort. l.  
 gr. ff. de Adq. her. l. 32. §. 1. ff. de Legib. Unde B. Aposto-  
 lus, cùm ostendere vellet, ius naturæ Gentibus co-  
 gnitum fuisse, provocavit ad universam creationem,  
 non ad societatem humanam, & ex illa, non ex hac  
 ostendit voluntatem Creatoris pernoscí. Rom. 1. vers. 19.  
 & 20. Non debuit igitur tam temerè dici, non esse a-  
 lia juris Naturalis præcepta, quam qvæ ex societate  
 humanâ inferri possunt, ex qua patuissima rite pos-  
 sunt: nam ex facto id tantum inferri potest quod ei ne-  
 cessariò cohæret, & sine quo explicari id non potest:

D

arg. l. 2.

*arg. l. 2. ff. de Jurisd.* atq; ita ex eō, quod Deus societatem inter homines esse voluerit, nihil aliud ritē concludi ulterius potest, quām ipsum voluisse ea, sine quibus societas esse & subsistere non posse: quo equidem prohibentur mutuarum cædium ac deprædationū licentia, & similia, quib⁹ convelli planè hominum societatem necessit⁹ est. Verū quis dixerit, Deum nihil aliud prohibitū voluisse; quasi in secretum voluntatis divinæ consilium admisus fit. Potest quidem homo, quod Deus aliquid voluerit, definire & ostendere, verū, quod præterea nihil voluerit, unde probabit? Quām verò perniciōsum hoc est, in publicum tradere modum quo paucissima naturæ placita recte probari possunt, & afferere, nulla præterea dari, adeoq; omnia prop̄ arbitrio & libidini hominum relicta esse.

§. 39. At verò satis manifestum est, plurima esse Naturæ statuta ac Jura, quæ ex sola societatis custodia per veram legalemque consequentiam demonstrari non possunt, atq; ut ex innumeris pauca adhuc exempla addam, (1) adduci potest incestus: hunc enim naturali ratione prohiberi certo certius est, & tamen tantum abest ut illa prohibitio ex custodia societatis fluat, ut potius ad multiplicanda amoris vincula maxime condiceret. (2) Promiscui concubitus & adulteria; non enim ideo hæc illicita sunt, quia contraria sunt societati, nā econtrario ad custodiendam societatem ea olim Spartani admiseré apud *jus. l. 3. c. 4. vid. sup. §. 23.* (3) Sodomia inde prohibita non appetet, non enim eā admisā societatem everti necesse est. (4) Jam eo tempore quo Adam solus existit, & sic societas nondum fuit, plurima prohibita & jus naturæ fuisse certū est. (5) Nullæ bellorum solemnitates exinde deduci possunt; non enim ratio est, cur arma turpia sint illicita, nisi ex sola

sola Dei voluntate proveniens vid. *Dissertat. de Arm.*

*Illicitis.* (6.) Multa sunt prima naturae quæ ex societate humana non consequi ipse Grotius fatetur. *L. I. c. 3.*

§. 1. num. 1. Hinc cum animadyerteret Grotius, multa esse juris naturalis, nec tamen ex suo principio deduci posse, statim ad conjecturas tanquam ultimum asylum configere solitus est, quæ jam, uti nec alia, prolixæ hic non cumulabō.

§. 40. Nec obstat nostro principio, quod id nō videatur sufficere, cum athei ei non obligarentur, ut potè qui Deum non agnoscunt. Nam Resp. (1) tales dari re ipsa vix credimus, & (2) tunc nec Grotii principium sufficiet, unde plane nulla oritur obligatio. *sup. §. 27.* (3) quin instinctū conscientiæ credit, necessario etiā eum credit qui illum indidit. Deniq; (4) opponimus vulgatum illud, cum negante principia non esse disputandum: nam mala & impia confuetudo est contra Deos disputandi, sive animo id fiat, sive simile; ut docet Cic. *l. 2. Nat. Deor. in fin.*

§. 41. Nulla autem profanior, & in vita humana perniciosior, quæque profanis latius fenestram eludente Juri naturali aperiat, sententia est, quam illa Grotii, Proleg. §. 11. dari jus Naturæ etiā Deus non sit. Quid enim superest, quod religionem animis, quod terrorem conscientiis ullum incuteret hoc supremo & omnipotente rerum omnium arbitro sublatto, & in ejus locum surrogato muto, inani, imbellique societatis simulacro. Sed & satis jam, solum Deum Juris Naturalis esse authorem, probavimus.

§. 42. Nequæ principium hoc Juris Naturalis labefactat ejus juris immutabilitas; cùm non videatur immutabile quod in libero Dei arbitrio ponitur. Hoc, inquam, nihil obest; cum voluntas Dei, utit liberrima, tamen duo necessaria complectatur; tum ut non pos-

fit velle nisi quod perfectissimum est: tum ut non pos-  
fit mutare quod semel voluit. Non quod causa quæ-  
dam extra Dei voluntatem sit, quæ ei necessitatem,  
hanc injiciat, sed quia ea necessitas intrinseca est ipsi  
voluntati, propter summam ejus perfectionem: ita ut  
voluntas non possit non velle quod perfectissimum  
est; non quod aliunde ad id adstringatur, sed quod ipsa  
voluntas in se perfectissima sit: atque ita Deus id quod  
optimum est, necessario facit; non quia non potest a-  
liter faceri, sed quia non potest aliter velle.

Hinc explicantur facile omnia jura naturæ, quæ  
ad duo capita referimus: Sunt enim 1. Jura,  
inter Deum & homines, quæ nimis in cultu divino  
consistunt, & ex ipsa ejus essentia summaque perfecti-  
one fluunt. Tantum jam abest hæc mutari posse, ut po-  
tius contradictionem involveret, si Deus vellet se pro  
Deo non haberi; fieret autem hoc si vellet ne colere-  
tur, cum cultus ille sit perfectionis aestimatio: 2. Ju-  
ra inter homines ipsos, quæ nihil aliud esse ostendim  
us, quam sanctissimæ hujus voluntatis placita:  
Hæc proinde mutari ideo non possunt, quia voluntas  
perfectissima etiam immutabilis est, cum mutatio pœ-  
nitentiam, eoque imperfectionem inferat & ignorati-  
onem pariter futuri, quæ in Deum non cadunt.

Hinc refutatur jam opinio Grotii, jura na-  
turæ in intrinseca bonitate vel turpitudine constituen-  
tis, propter quam actibus quibusdam insit moralis nes-  
sitas, ita ut à Deo quoq; aliud statui non possit. Quod  
latius persequi possè, sed hâc vice me remitto ad Dn. Puf-  
fend. de Jur. Nat. lib. 1. cap. 2. §. 6. & lib. 2. cap. 3. §. 4. Sane  
in verbis ludere videtur Grotius d. §. 10. n. 6. dum inquit:  
Ita, si quem Deus occidi præcipiat, sires alicuius afferri, non  
licitum fiet homicidium aut furtum, qua voces vitium invol-  
vunt,

vunt, sed non erit homicidium aut furtum, quod ~~vite~~<sup>et</sup> rerum supremo Domino auctore sit: Et in pr. d. num. 6. hic non jus mutari, sed rem, de qua natura constituit. id est, non homicidium fieri licitum, sed non esse homicidium? Ista, inquam, lis tantum in verbis est: nam si DEUS voluntate sua efficere potest, ut id quod in aliis casibus est homicidium, in hoc casu non ita dicatur, sequitur necessario, quod actuū bonitas & malitia à sola Dei voluntate dependeat: & hoc est quod contendimus, extra voluntatem Dei omnia esse indifferentia.

§. 43. Nec obstant illa exempla quæ ex sacra Scriptura afferri solent, & mutationem divinæ voluntatis præ se ferre videntur, uti cùm *incestus* permisus est liberis Adami; *nuptia* cum defuncti fratris vidua; *parricidium* Abrahamo; *furtum* Hebræis; *Scortatio* Hoseæ &c. Nam Resp. Hos casus nunquam Deum prohibitos voluisse, sed ab omni ævo excepisse; si enim semel sub illa generali prohibitione eos comprehendisset, nunquam postea permettere potuisset, quia permission illa fieret necessario cum mutatione divinæ voluntatis. At verò si nunquam ab eo prohibita hæc fuisse dicuntur, id quod ex post facto nobis revelatum, à Deo verò jam ab aeterno ita constitutum est, utpote cui omnia sunt præsentia, nulla facta fuit ejus voluntatis mutatio, sed semper eadem illa ac immota permanxit.

§. 44. Demonstravimus hactenius, nullum esse ius naturæ, nisi quod creatoris voluntate sanctum est. Id verò ne quis ita accipiat, quasi ex omni Dei voluntate propriè obligatio oriatur, voluntatis divinæ differentiae paucis evolvendæ sunt. Primum igitur voluntas est vel permittens, quâ facultas & libertas agendi conceditur; vel præcipiens aut prohibens, quâ necessitas a-

gendi vel non agendi imponitur, atq; adeò unde obligatio & vinculum juris oritur.

§. 45. Verùm hæc obligatio in foro humano non potest extendi ad cogitationes & conscientias hominum: quoniam excedit modum humanæ potestatis, cogitationum pœnas statuere & conscientiis legem dare. *l. 18.*  
*ff. de Pæn.* Quin ea est hominum corruptio, ut ne quidem in ipsorum arbitrio sit, mentem ab affectibus malisq; cogitationibus puram castamq; servare. Hæc igitur puritas animæ juri humano, de quo nunc agimus, ejusq; pœnis non subjacet. Misericordia voluntate præcipiente, & inde nata obligatione, de qua hactenq; quantum satis videtur, diximus) paulò diligentius perpendenda est voluntas permittens: quæ est, quâ actus arbitrio hominis hactenus relictus est, ut non sit ipsi necessitas imposita id agendi vel non agendi. Quamdiu autem illam impositam esse non apparet, intelligitur actus arbitrio hominis relictus. *sup. §. 29.*

§. 46. De his igitur actibus ita arbitrio hominū relictis notandum, et si illi in potestate hominum sint, nec illis necessitas ita agendi injuncta sit, tamen horum actuum alios aliis esse meliores & perfectiores, ut docere præstantius est, quam vestem facere; tueri patriam præclarioris, quam ad forum ire; et si omnes hi actus æquè injustitiā & vito careant. Et major perfeccio virtutis nomine venit.

§. 47. Cum igitur Deus & Ens sit perfectissimum, & perfectissimus honorum largitor ac præmiorum dispensator, sequitur necessario, quò perfectius quid agitur, eo magis id ei placere acceptumque esse; & eo largius id eum remuneraturum esse. Atq; hæc est alia Dei voluntas, quæ non imponit absolutam necessitatem agendi, ut omnino inde obligentur homines; sed

sed quā quidem actus relinquitur potestati hominum, verū ita, ut tamē gratiū acceptumq; habeat Deus, præmisq; & solidā felicitate penſet, si homines id quod perfectius ac virtuosius est, ultro agant. Neque vero alii actus esse possunt, qui ob perfectionem DEO placent, felicitatisque præmia ab eo exspectent, nisi qui hominum arbitrio relictisunt: si enim necessitate præcepti compulsus quis agat, in eo nulla perfectionis & virtutis ratio est, quia non suo arbitrio, sed necessitate legis id agit: perfectio autem actionis ad eum pertinet, cuius voluntate agitur, non ad eum qui aliunde, scil. lege, compellitur agere: id enim imperfectio maxima est, non agere ultro, sed ad agendum adigi. Id quod ex Servatoris nostri doctrinā patet, cum ait: *Si demum, quod obligati estis facere, feceritis, dicite, immerentes servi sumus, quia quod debuimus facere fecimus, Luc. 17. v. 10. vid. insr. §. 54.*

§. 48. Hinc ergo manifestè apparet duplex voluntas Creatoris; alia, in actibus præceptis seu prohibitis, quā necessitatem agendi & vinculum injicir, ut homo inde compellatur agere: alia, in actibus hominum arbitrio relictis, quā quo perfectius quis ultro agit, eò magis placet perfectissimo rerum arbitro, magisq; præmium meretur. Prior jus facit, ex quo agendi necessitas & obligatio oritur ad ita agendum, aut, si non jure fecerit, ad reparandum: Altera, quæ gratiæ præriorumq; fiduciâ allicit hominum studia, ut ultro id agant quod perfectius seu virtutis est.

§. 49. Utrumque igitur à Natura est, tum obligatio, quæ ex voluntate Dei præcipiente vel prohibente; tum meritum virtutis, quod ex voluntate Dei permittente, sed proposita spe veræ felicitatis allicientur; Cic. lib. 1. de Legib. cap. 63. Non solum jus à Natura dijudicatur;

djudicatur, sed omnia honesta ac turpia. Comunis quoque consensus gentium hanc differentiam agnoscit. Multa enim licita sunt, quae non sunt honesta. l. 144. Reg. fur & Plin. l. 5. Epist. oportet quae sunt in honesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Sen. l. 2. de Ira c. 27. angusta innocentia est ad legem bonum esse? quando latius officiorum patet quam juris regula &c.? Facit huc famosa illa regula apud Senec. in Troad. n. 332. quod non vetat fieri lex, vetat fieri pudor: de qua integrum conscripsit Dissert. Excell. Dn. Schultz de Szulezki Consularius Brandenb. Antecessor in hac Viadrina longe Celeberrimus Patronus meus Summus. Sed & ipse Grotius, et si saepius ea quae juris & virtutis sunt misceat, alibi tamen, rei evidentiâ oculos animumque; ipsius perstringente, optime ea discernit atque distinguit, uti ex sequentibus locis apertissimum est. Grot. proleg. §. 41. §. 50 l. 1. c. 1. n. 3. l. 1. c. 1. §. 8 n. 3. §. 9. §. 10. n. 3. l. 1. c. 2. §. 1. n. 2. & 3. §. 9. n. 4. & inf. l. 2. c. 1. §. 8. c. 12. §. 9. n. 21. omnium optimè l. 3. c. 4. §. 2. per tot. & ejus not. ibid. & c. 11. §. 7. c. 13. §. 4. per tot. & c. ibid. Comment.

§. 46. Sufficienter ex ante dictis constare puto, propriè lege Naturæ non compelli homines ad exercendas virtutes: attamen, cum in perfectione consistant, Deus autem sit ens perfectissimum, non possunt non ei grata esse atque placere, neque etiam sua carebunt mercede; quoniam omnium virtutum premium in ipsis est. Sen. Ep. 81. & ex natura divinæ perfectionis necessario sequitur, Deum omni virtuti destinasse præmium, nec eum virtus & virtutes pari gradu habere: Et, cum illa præmiorum distributio in hac vita sequi non soleat, ulterius concludendum omnino est, aliam fore vitam ubi illa remuneratio honorum, quin suū cuique operi meritum iustissimamente tribuetur. Ego rei abunde fidē faciunt sacra oracula, dum quemque secundum opera sua remuneratum

tum iri docent 1. Cor. 3. v. 6. 2. Cor. 9. v. 6. & ad Gal. c. 6. §. 4.  
 Rom. 2. v. 6. &c. Id quod Christus in singulis ferè virtutibus Matth. 5. afferit: & juveni diviti commendans perfectionem, inquit, & habebis thesaurum in celo. Matth. c. 19. v. 7. Servum, qui usuris sibi creditam pecuniam locavit, i. e. hominem qui virtutes exercuit, ita alloquitur cœlestis parens, Euge, Serve bone! & fidelis! quia super pauca fuisti fidelis, saper multa te constituam: intra gaudium Domini tui. Matth. 25. Sic denique cum beneficentiam erga inimicos quoque incularet, inquit Luc. 6. v. 35. & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi. Deniq; Apostolus ad Rom. 12. v. 17. italoquitur, carbones igneos coactervabitis in caput eorum.

§. 51. Gentilibus quoque hæc incognita fuisse putandum non est, cum tota eorum hoc redeat Theologia, & ipsorum Dii nihil ferè aliud sint, quam homines virtutum gloriâ illustres, qui ob bene merita in Deorum numerum relati sunt; uti latè probat Euseb. *Prepar. Evangel.* & Excell. Dn Becman. Patronus omniciu[m] devenerandus, *in analœct. Hist. c. 2. §. 3. seq.* ita *Sen. pat. suas 1. intra has terras cælum Hercules meruit. &c.* Nec aliud creditur ipsis esse ille orbis lacteus, quam receptaculum animarum multis virtutibus excellentium; egregie Manil. l. 1.

-- Fortes anime, dignataq[ue] nomine cælo,  
 Corporibus resoluta suis, terraq[ue] remissa  
 Huc migrant ex orbe, suumq[ue] habitantia cælum,  
 Æthereos vivunt annos:

Dogma hoc à Pythagora ortum tradit Lips. *Physiolog. 3.*  
*Disf. 13.* scil. Mercurium esse ductorem animarum: ex iis puras  
 ducere ad superiora loca, impuras vinculis & furvis adstringi &c.  
 Hinc cum Scipio Africanus ex orbe lacteo Scipionem min. ita  
 alloqueretur, apud Cic. in *Somn. Scip. c. 3.* omnibus, qui patriam con-

E serva-

servarint, certum esse in cælo locum definitum, ubi beati evo sempiterno fruantur. & mox: justitiam cole & pietatem, ea vita via est in cælum: hic ei ita resp, c. 8. Quanquam ab initio decori vestro non defui, nunc tamen tanto premisso proposito enitar multo vigilantiū: Hanc cæli regionem oratione tribuit idem Cicero legionis Martis quæ pro patria occubuit, in Philip. 14. in f. Illi impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnam lueni, vos vero, qui extremum Spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti: ita in terminis Id: de nat. Deor. p. m. 327. dum de virtutibus loquitur, inquit, ex quibus existit vita beata, par & similis Deorum.

S. 52. Hæc jam virtutis & perfectionum exercitia si quis negligat, non ideo proprie justus esse definit, sed virtuosus; cum non contra jus, sed contra virtutes committat, neq; pœnis adigendus est ad injuriæ, quæ haec tenus nulla est, reparationem, sed veræ illius felicitatis, quæ virtutes sequitur, præmiis exuendus?

*Non vero Obstat.* i. Quod Deus voluerit ut virtutes, exerceantur, quæ voluntas jus facit.

Resp. Voluit, non voluntate præcipiente, quæ jus & obligationem efficit; sed probante, quæ virtuti spem præmii ostentat.

Obj. 2. Quod ita in arbitrio nostro sit citra pœnā turpiter agere?

Resp. Satis horrendum miserrimumque homini omni bonorum genere exui; de quo ad Obj. 3.

Obj. 3. si destituimur omni præmio & sic vitâ æternâ, necessario pœnam patimur, (nam tum est malum passionis, seu æterna damnatio, propter malum actionis) pœna autem non est nisi ubi lex? Rom. 4. v. 15.

Resp. Utinam innumeri bonorum ac virtutum sunt gradus, ita necessariò erunt malorum: Cum enim perfecti dispensatoris & arbitri sit, dæc γεωμετρεῖν, ut Plato dicebat, seu actiones hominum merito suo accuratè metiri, & cuique pro modulo suo retribuere, necessariò totidem erunt gradus bonorum ac malorum, quot virtutum ac vitiorum, ut omnia rite pensari meritis suis possint.

Hinc igitur, cum justitia exerceatur ad pœnas evitandas,

vir-

virtus ad felicitatem promerendam, ad hoc ut justa omnium aestimatio sit, requiritur, ut & pœnae sint, quibus injuriæ vindicentur, & præmia quibus virtutes mactentur: & proinde aliud sunt pœnae, quibus injusti excretiabuntur, aliud præmiorum privationes, quæ propter vitia seu virtutum defectus fient. Itaq; in tres classes rem omnem digeremus: Quisq; gradus injuriæ suum gradum pœnae habeat necesse est. 2. Quisque gradus virtutum (justitia enim nihil meretur, sed à pœnis absolvit) suum gradum felicitatis seu præmii. 3. Quisque gradus vitorum suum gradum privationis præmii. In his omnibus si quid defuerit, erit imperfectio, quæ in perfectissimum rerum omnium arbitrum non cadit.

Obj 4. *Quod ita respectu Dei nulla inter jus & virtutem sit differentia, cum eadem pœna & injustos & imperfectos afficiat, scil. aeterna damnatione?*

Responsio jam data, & differentia in eo est, quod juris executio nihil præmii mereatur, sed à pœnis liberet; at virtutes congruis felicitatis præmiis ornentur, & vitia iis præventur. Atque hanc omnium gentium sententiam fuisse, gradus fore & pœnarum & præmiorum, latè ostendi posset, nisi propositum esset compendio rem agere. Et quidem hæc ita in thesi. Cæterum, cum constet, homines ita corruptos esse, ut omnes injusti sint in supremum Numen, eoque pœnis æternis obnoxii, difficilis erit ulla spes præmii; nisi pro commissis satisfactum fuerit: quem modum Theologia, & quid de gentilibus tandem, qui omnem vitam suam pro virili in pietatis studium contulerunt, futurum sit, summi Numinis iudicio relinquimus.

§. 53. Vera igitur differentia juris & virtutis I. in eo posita est: *quod illud suum cuig; virtus vero id quod nostrum est, aliis tribuat, vel nostra perficiat.* Ita liberalitas nostra erogat, parsimonia conservat. Ipsa justitia nostra perfectior dicitur quatenus in perpetua & constante voluntate consistit: optimè Sen. ep. 81. *Justitia non est, ut vulgo creditur ad alios pertinens, maxima pars ejus in se credit, quia virtutum omnium pretium in ipsis est.*

§. 54. Hinc II. suboritur differentia: qvod ad *justitiam* omnes obligemur, & ad eam cogi possumus, ut proinde etiæ eam plenisime

sime impleamus, nihil tamen mereamur. Numquid, ita Christus loquitur *Luc.* 7. v. 10. Dominus gratiam habet servo illi, qui fecit quæ imperaverat? non puto, sic & vos, cum feceritis omnia quæ precepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Ita Ammian. *Marc.* lib. 30. c. 28. Aliena non rapere non est laudis nec perfectæ virtutis indicium, sed debitum. Imo Cic. lib. 1. de Leg. c. 63. in justissimum id ipsum esse, justitiæ mercedem querere, inquit; hinc adeò turpe visum fuit.] Cts Romanis ea quæ juris & necessitatis sunt, venalia habere, ut si judex aliquid accepit ut officio bene fungatur &c. Illustratur hoc quæ maxime exemplo servi, qui, et si justitiæ Domino satis fecerit, reddendo ei quod suum fuit, scl. talentū, tamen hanc sententiam accepit, inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. *Matth.* 25. Ad virtutem vero nullo modo compellimur uti §. 47. vidimus, quin definit esse virtus & proinde meritum si coacti agamus, ita *Sen.* l. 3. benef. Cum res honesta sit referre gratiam, definit honesta esse, si necessaria est. ita cum Cornelius gratias ageret Fabricio, quod se homo inimicus consulem fecisset, ita ei respondet. Nihil est quo mihi gratias agas, si malui compilari quam venire. *Gell.* Noct. att. l. 4. c. 8. Et *Apost.* 1. ad Cor. 9. Etsi evangeli- zavero non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Nam

H μισθητης δοκιμεις δελιον ημας.

*Dimidia virtute caret servire coactus.*

Add. *Sen.* lib. 3. benef. c. 21. Tum autem, si ultro id quod virtutis est exequamur, mereri dicimur, sup. §. 47. seq. etiā ex illis ad quæ tenemur: ita *Apostolus* d.l. de officiis sui necessitate pergit, si volens hoc ago mercede habebo. & *Sen.* l. 7. benef. c. 4. Servum Domino posse beneficium dare inquit, si volens aliquid dedit, licet potuerit eripi etiam si noluiset. & de hoc merito, ejusq; præmiis egi. sup. d. §. 47.

§. 55. Longè plura sunt, quæ tractanda essent, & quæ jam de his in primis differentiis tractaveram, sed ea recidenda credidi, ne propositos mihi Disputationis fines egrederer. Satisque habui si sanctissimum jus Naturæ à profano societatis principio assererem, idq; agerem, ut sua ipsi constet summa & sanctitas & religio, quò, quæcunq; sit inter homines potestas, hanc æterni Numinis legē adoret potius ac pertremiscat, quam libidini suæ subjecere tentet, de suâ tantum, de reliqua hu- manæ societatis salute nihil aut parum sollicita.

05 A 02070

ULB Halle  
003 782 980

3



1097



# Farbkarte #13

	B.I.G.																		
8																			
7																			
6																			
5																			
4																			
3																			
2																			
1																			
Centimetres																			
1																			
2																			
3																			
4																			
5																			
6																			
7																			
8																			
Inches																			
1																			
2																			
3																			
4																			
5																			
6																			
7																			
8																			

